



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XX. De Hymnis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

## TITULUS XX.

## DE HYMNIS.

I. **H**ymni *n.* semper dicuntur in qualibet hora, præterquam à triduo ante Pascha, usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusivè, & præterquam in Officio Defunctorum.

*N.* Sic dicti, quia Laudes DEI continent. Unde & Christus Matth. 26. post institutionem SS. Sacramenti Hymno dicto exivit in montem Oliveti.

II. Ad Matutinum Hymnus dicitur post Psalmum *Venite*, repetito Invitatorio, præterquam in die Epiphaniæ. Ad Laudes & Vesperas dicitur post Capitulum; ad Horas ante Psalmos, ad Completorium post Psalmos & Antiphonam.

III. Dicuntur autem in Officio de Tempore, ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt; qui Hymni de Psalterio in Dominicis & Ferijs assignati dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi exceptâ) & ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ exclusivè. In Officio de Sanctis dicuntur, ut in Comuni Sanctorum, nisi Proprii in Proprio Sanctorum habeantur.

IV. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi, & per Octavam, & quandoque fit Officium B. MARIÆ tam novem, quam trium Lectionum *o.* etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (præterquam in fine Hymni *Ave maris Stella*, & Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, qui habet ultimum Versum proprium) dicitur: *IESU tibi sit gloria, qui natus es*

de Virgine, ut in ejus Officio parvo, etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas prædictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint ejusdem Metri. *p.* nec habeant ultimum Versum proprium, ut Hymnus S. Crucis ad Vesperas, & plurimorum Martyrum ad Matutinum.

*O.* Etiamsi non totum Officium, sed tantum commemoratio de ea fieri debeat, ut si ante Sabbatum Feriâ sextâ Festum novem Lectionum incidat; tunc enim, ut Gavantus l. 5. c. 6. n. 15. ex libello Officiorum PP. Discalceatorum à Sacra Congregatione Rituum approbato probat, & ex inferius dictis hoc ipso paragrapho colligitur, adhuc in Vesperis & Completorio hic Versus variari debet.

*p.* Id est, Dimetri Jambî; nam tales sunt & Strophæ istæ, quæ substituuntur.

*V.* In Epiphania Domini, & per Octavam in fine omnium Hymnorum dicitur: *IESV tibi sit gloria, qui apparuisti Gentibus.*

*VI.* A Dominica in Albis usque ad Ascensionem in Pentecoste, & per Octavam, in fine omnium Hymnorum dicitur: *DEO Patri sit gloria, & Filio, qui à mortuis;* etiam in Festis Sanctorum, eodem tempore Paschali occurrentium, dummodo Hymni sint ejusdem Metri, nec habeant ultimum Versum proprium, qui non mutatur, ut supra.

*VII.* In Ascensione autem usque ad Pentecosten (præterquam in Hymno: *Salutis humanæ Sator*) dicitur: *IESV tibi sit gloria, qui Victor in cælum redis;* similiter etiam in Festis tunc occurrentibus.

*VIII.* In Transfiguratione Domini dicitur: *IESV tibi sit gloria, qui te revelas parvulis;* alijs temporibus terminantur Hymni, ut suis locis ponitur.